DISSERTATIO INAVGVRALIS CHYMICO-MEDICA

DE

LICHENE CINEREO TERRESTRI

QVAM

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

IOHANNE FRIDERICO CARTHEVSER

MED. DOCTORE ET PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAE REGIAE BORVSS. SODALE ET ACAD. ELECTORALIS MOGVNTINAE SCIENT. VTIL. ASSESSORE, FACVLT. MED. H. T. DECANO.

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

RITE ATQVE LEGITIME IMPETRANDIS

D. MAII, MDCCLXII.

H. L. Q. C.

DEFENDET

GODOFREDVS LVDOVICVS SIXIVS,


BEROLINENSIS.





FRANCOFVRTI AD VIADRVM,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI, ACAD. REG. TYPOGR.





DISSERTATIO INAVGVRALIS CHYMICO-MEDICA

DE

LICHENE CINEREO TERRESTRI.

PROOEMIVM.

Singulare delirium furiosum, febris acuta, pavor liquidorum, iisdemque connexa pathemata reliqua, quæ morsum canis aliorumque animalium rabidorum ordinario sequuntur, tam horrenda, tam gravia, tam refractaria existunt, ut plerorumque medicaminum actionem penitus eludant, miserisque demorsis necem intra breve utplurimum tempus certissime inferant. Initio quidem virus, corpori per vulnus cum saliva infusum, nonnunquam valde torpidum videtur, ac diu interdum, per plures nempe hebdomades ac menses, absque conspicuo detrimento in demorsa parte delitescit; at postmodum,

 ex



ex fuis nempe latibulis excuffum, hanc nocendi moram pernicioliffima operatione abunde compenfat, totumque corpus motu veloci pervadit, et febrem peracutam, peffimis fymptomatibus ftipatam, tandemque rabiem immedicabilem et hydrophobiam exitialem provocat. Ingens igitur huius mali atrocitas et eventus maxime (fi rabies fcilicet et hydrophobia dudum exortæ fuerint) celerrime funeftus omni ævo medicorum curam et inquirendi induftriam excitavit, eosdemque eo potiffimum impulit, ut de inveniendis certioribus prophylácticis, h. e., remediis, poft morfum præfervandæ magis, quam curandæ rabiei idoneis, folliciti effent. Innotuerunt quoque multa, quibus hæc virtus tribuitur, et feliciter omnino utiliffima hæc fcrutatio peracta foret, fi effectus eorum perfecte elogiis, quibus ab inventoribus aliisque ornantur, refponderet. Nolo fingula, quæ paffim in veterum et recentiorum medicorum fcriptis recenfentur ac deprædicantur, hoc loco allegare, fed paucis folummodo indicabo, tria noftris temporibus, *Turpethum a*) nempe *minerale*, *Anagallidem flore phœniceo b*) et *Lichenem cinereum terreftrem*, valde

a) De fpecifico hoc contra hydrophobiam remedio, quod ROBERTVS IAMES, *Medicinæ Doctor* et *Practicus Londinenfis* anno 1741. Societati Regiæ Anglicanæ communicavit, non tantum laudatæ Societatis *Transactiones N 441. p 244. fequ.*, fed uberior quoque ipfius inventoris *Relatio*, feorfim typis impreffa, pofteaque a *Dno* DIEDERICO WESSELIO LINDEN ex Anglica lingua in vernaculam noftram translata, et 1746. una cum aliis quibusdam opufculis edita, legi poffunt.

b) *Dn.* D. CAROLVS LVDOVICVS BRVCH in *Differtatione fua inaugurali, anno 1758. Argentorati habita*, plantam hanc quoad formam externam et principia activa folide defcripfit, et fingularem inprimis virtutem eius contra rabiem caninam exemplis confirmavit. Po-

valde inprimis celebria exiſtere. Duo priora absque ulteriori contemplatione hac vice prætermitto, de lichene autem, licet in officinas noſtras pharmacevticas nondum receptus ſit, paullo uberius in ſequentibus agere, et chemica inprimis examina, cum eo ſuſcepta, communicare mecum conſtitui, ut quilibet poſtmodum eo melius iudicare poſſit, an ſpecificæ vires alexipharmacæ, huic ſimplici adſcriptæ, in ſeparatis principiis lateant, an potius in tota eius mixtione naturali quærendæ ſint.

§. I.

Scriptores rei herbariæ principes, ſi nonnihil in hac parte errantem MORISONIVM exceperis, circa locum Licheni noſtro inter plantas reliquas aſſignandum perfecte quidem conveniunt, circa appellationem vero iisdem varietatem placuiſſe, deprehendimus. RAIVS enim illum *Hiſt. plant.* 117. Lichenis cinerei terreſtris nomine donavit: LINNAEO in *Flora Lapp.* 441. Lichen foliis planis ſubrotundis, lobatis obtuſis, calyce plano lacinia adnato, et in *Flora Svecica* 961. Lichen foliaceus repens lobatus obtuſus planus, ſubtus venoſus villoſus, pelta marginali adſcendente, audit. TOURNEFORTIVS eum *Inſt. rei herb.* 549. Lichenem pulmonarium ſaxatilem digitatum maiorem cinereum, et DILLENIVS denique in *Hiſtoria muſcorum* 200. Lichenoides digitatum cinereum, lactucae foliis ſinuoſis, alibi autem, nimirum in *Catalogo florum circa Gieſſam naſcentium* 208. Lichenoides peltatum terreſtre cinereum maius, foliis diviſis, vocat.

 §. II.

tiora huius Diſſertationis momenta etiam in ſcripto illo periodico, quod *Allgemeines Magazin der Natur, Kunſt und Wiſſenſchaften* dicitur. *P. X. p.* 388, relata fuerunt.



§. II.

Quanquam ex allegatis, præfertim celeberrimi LINNAEI, nominibus characterLichenis noftri diftinctus atque fpecificus fatis dudum patefcere videatur, clarioris nihilominus notitiæ cauffa, fequentem eius defcriptionem uberiorem, quam RICHARDVS MEAD communicavit *a*), fubiungam: „Folia, dum tener eft lichen, parva funt, fed „excrefcunt ad longitudinem binorum ternorumve digi„torum, cum latitudine unius, divifa in fegmenta. In„terdum fola, interdum fibi incumbentia inveniuntur. In „extremitatibus emittunt parva, dura, oblonga, corpufcu„fcula, Botanicis *Peltæ* dicta, quæ fine dubio funt femina„les capfulæ. Siccato folio cinereus color eft, nigrior „in fuperficie fuperiore, dilutior in inferiore. Obfer„vantur paffim frequentes venæ, a quibus albæ parvæ „fibrillæ in terram mittuntur, plantæ radices &c. Quamdiu hic lichen, quod neceffario addendum cenfeo, recens eft, fitum valde redolet, et hunc quoque odorem poft perfectam exficcationem nunquam penitus amittit. Sapor cum odore multa habet communia, et æque propemodum, ac in vulgari fungo efculento, *Morchella* dicto, debilis putridulo-mucidus et leniffime in receffu acriufculus reperitur.

§. III.

In omnibus Europæ regionibus hæc planta nafcitur, nec dubium quoque eft, quin in multis pariter Afiæ, et Americæ tractibus temperatioribus atque fylveftribus proveniat. Amat loca umbrofa ac nemorofa humidiufcula, ibidemque, terræ proxima, circa radices atque truncos arborum, et paffim quoque in ericetis crefcit. Toto quidem anno quærentibus obvia eft, tempore tamen pluviofo


a) In *Oper. med. T. II. Tentam. 2. p. 126.*

viofo autumnali, magis dudum ad hyemem vergente, potiffimum, uti vix allegatus RICHARDVS MEAD teftatur a), viget, adeoque tunc etiam præcipue colligenda, ac leniter ftatim, prius tamen ab adhærentibus mixtisque corporibus peregrinis debite repurgata, exficcanda eft.

§. IV.

De principiis huius lichenis activis totaque mixtione eius naturali nihil huc usque in aliorum fcriptis invenire potui, unde fufpicari licet, neminem hactenus decenti illum atque completo examini chemico fubieciffe. Laudatus quidem Dominus MEAD deftillatione ficca naturam eius quodammodo exploravit, et ex unciis quatuor *aquæ acidæ* unciam unam, quinque drachmas, fcrupulum unum, duo grana, *olei, aqua gravioris*, drachmas duas, fcrupulum unum, grana fedecim, et *carbonis, fal fixum continentis*, unciam unam, duas drachmas, fcrupulum unum, grana undecim obtinuit: Attamen, analyfin hanc nondum fufficere, nec adeo multum quoque lucis, quum violenta fuerit, circa mixtionis naturalis cognitionem foenerari, facile intelligitur. Quare, ut defectum hunc fupplerem, blandas quoque extractiones eius cum aqua fimplici, fpiritu ardente, ac vino fufcepi. Nonnulli fortaffis humidam pariter deftillationem ex cucurbita defiderabunt: Verum enim vero diffiteri nequeo, memet illam hac vice minime neceffariam iudicaffe, quoniam ex fuperftite debili huius plantæ odore putridulo-mucido plerosque protinus cogrituros credo, inde, præter memoratum halitum mucidum, nec oleum effentiale, nec aliud notatu dignum atque activum principium volatile fub deftillatione humida proditurum effe. A violentiori enim deftillatione ficca nulla ad blandam humidam conclufio

a) L. c.



clufio valet, quum experientia fatis dudum comprobatum fit, pleraque vegetabilia, manifeftoetiam odore ac fapore acido deftituta, fub priori quidem aquam acidam aut acidulam, minime autem fub pofteriori reddere; quemadmodum numerofa huius commatis exempla in FRANCISCI GEOFFROY *Materia medica* videri poterunt.

§. V.

Sed, relictis hifce, ad enarranda inftituta mea examina progrediar: Primo nimirum huius lichenis, debite prius exficcati, repurgati ac groffiufcule contriti, unciam dimidiam recepi, eamque, fuperfufa fufficienti quantitate aquæ fimplicis, blandæ digeftioni in arena calida tamdiu commifi, donec omnis fubftantia, in aqueo menftruo citra ebullitionem folubilis, extracta fuerit. Impetravi igitur infufum aurantii coloris, quod valde naufeofum odorem putridulo - mucidum *(dumpfigt, fchimlicht)* fpirabat, et guftus quoque organo fimilem faporem imprimebat, cui debilis tamen acriufculus, non initio quidem, fed poft moram aliquam perceptibilis, admixtus erat. Odor ingratus fub blanda evaporatione adhuc multo fortior evadebat, et inde igitur clarius innotefcere arbitror, fub deftillatione humida, nullam, uti antea pridem dixi, aquam aliam, nifi vappidam plane, inertem, et infuavi tantum odore putridulo - mucido imbutam, in receptaculum transfcendere poffe. Peracta evaporatione et infufo ad iuftam extracti confiftentiam redacto, maffa fufca feu brunneo - nigricans fuperftes erat, quæ drachmas duas pendebat, et odore nonnihil quidem balfamico, aft valde fimul ingrato et atriplicis foetidæ aut vetuftioris halecis mephitim aliquantulum æmulante, donata reperiebatur. Sapor eius, qui præcipuam hoc loco confiderationem meretur, deguftationis initio dulcis, deinde autem amaricans atque fubtiliter acris exiftebat, ac fauces inprimis fatis

diu

diu subtili altiusque penetrante, et magis per aliquot fere minuta increscente, morsicatione sua atque ardore, piperis propemodum instar, adficiebat.

§. VI.

Absoluta extractione aquosa, operam meam protinus ad parandum infusum et extractum spirituosum transtuli, et in hunc finem dimidiam quoque plantæ siccatæ et contritæ unciam cum spiritu vini rectificatissimo in arena calida per aliquot dies noctesque digestioni subieci. Tinctura, quam obtinui, colore pallide aureo prædita erat, ac solum vini spiritum redolebat. Sapor quoque eius initio nec ingratus nec mucidus, sed subtilis ac mediocriter acris fuit, eidemque debilior mucidus sese demum post moram aliquam associavit. Tinctura, blanda evaporatione inspissata, valde exiguam extracti quantitatem, vix unum scilicet scrupulum, reliquit. Extractum hoc colore gaudebat flavo-subfusco, et remissiorem in naribus odorem acriusculo-balsamicum et quasi melleum, in lingua autem saporem modice acrem ac leniter amaricantem excitabat. Acredo memorata, quod adhuc notari meretur, non tam fortis erat, quam in extracto aquoso, nec tam diu etiam post degustationem faucibus inhærebat.

§. VII.

Extractioni aquosæ ac spirituosæ tandem vinosam quoque, licet ista detegendæ naturali plantarum mixtioni non tam bene, quam priores, inserviat, addere placuit. Adhibui ad eam vulgare vinum Gallicum, et post sufficientem digestionem infusum accepi, coloris flavescentis, a vini superfusi colore plane non distincti, saporis mucidi simulque a menstruo vinosi et specifici putridulo-mucidi, æque ac ipsa planta, debilioris tamen minusque in-

 grati,



grati, quam in infuso aquoso, odoris. Extractum, post evaporationem inde relictum, et aurantio colore tinctum, odorem fere nullum et solum quoque saporem acidum, eumque satis fortem, possidebat.

§. VIII.

Potiora momenta, quæ ex descripto examine manifesta fieri arbitror, ad sequentia maxime redeunt:

I. Præter copiosas partes terreas inertes, lichen noster principia fixa resinosa ac gummea et ingratum quoque elementum vaporosum putridulo-mucidum in naturali mixtione sua continet.

II. Substantia gummea resinosam non copia tantum, sed paullulum quoque subtili ac quasi piperina acredine sua, adeoque etiam activitate medica superat.

III. Acredo memorata initio degustationis in extractis debilior est, deinde autem notabiliter increscit, ac diu pariter, præsertim in faucibus, perdurat: Manifesto documento, particulas activas altius ob subtilitatem suam in fibrarum compagem penetrare, et iisdem ea propter pertinacius quoque inhærere.

IV. Corpuscula salina acria, quod sicca inprimis destillatio probat, acidæ indolis sunt, non pura tamen, sed cum teneriori quadam substantia oleoso-inflammabili arcte combinata, eademque circum circa nonnihil quasi obducta.

V. Nauseosum principium putridulo-mucidum vaporosum, quod substantiæ fixæ, tam resinosæ, quam gum-

gummeæ inhæret, et cum ſimili vapore, quem in plerisque fungis, muſcis atque lichenibus, in ſolo humidiuſculo atque umbroſo creſcentibus, deprehendimus, quoad naturam convenit, nullam ſingularem pro mea ſententia virtutem medicam obtinet. Probabile quoque eſt, non generari iſtud in ipſa planta, ſed humori aqueo, ex terra humida, cui lichen ſpongioſus adnaſcitur, copioſe intranti, et putredinoſa corruptela nonnihil depravato, ſuam geneſin præcipue debere.

VI. Infuſum vinoſum ſpecifico ſapore acri deſtituitur, adeoque ſpecificis lichenis viribus maximam quoque partem deſtitutum eſſe videtur.

§. IX.

Expoſitis lichenis noſtri elementis activis, protinus quidem momentum diſſertationis primarium, quæſtio videlicet, an ſpecifica virtus alexipharmaca, huic ſimplici ad avertendam rabiem caninam viruſque corpori illatum extinguendum et eliminandum adſcripta, ex principiis memoratis derivari et explicari queat, nec ne, ventilandum foret: Attamen, quum iſtud absque prævia conſueti uſus cognitione vix ſolide, aut ne vix, fieri poſſe exiſtimem, ea prius, quæ ad uſurpandi modum, totamque poſt morſum virulentum præſervandi methodum, a Domino MEAD *l. c.* traditam, recenſebo. Mittuntur primo ex ægri demorſi brachio ſanguinis unciæ novem vel decem: Deinde pulvis, e lichenis cinerei terreſtris, mundati ac ſiccati, uncia dimidia et piperis nigri drachmis duabus paratus *a)*, in quatuor partes æqua-

 les

a) Medicamentum hoc, quod, teſte Domino MEAD, DAMPIERIUS, cuius familia ſibi iſtud diu pridem ſervaverat arca-



les dividitur, quarum unam æger ieiunus quotidie per quatuor continuos dies mane cum dimidia menſura lactis vaccini calidi adſumit. Conſumtis quatuor his præbiis balneum frigidum, aut fontem gelidum aut fluvium omni mane ieiunus per menſem intrare, ac ſeſe totum immergere debet, ita tamen, ut, capite eminente, in aqua ſtet, nec ultra dimidium minutum, ſi aqua valde frigida ſit, in ea commoretur. Menſe exacto, non ſtatim ab uſu huius balnei deſiſtendum, ſed iſtud adhuc per dies quatuordecim, tribus in hebdomade diebus, repetendum erit. Minime præterea, et curæ quidem initio, vulnus morſu inflictum, ſi nondum ante ægri acceſſum ſponte coaluerit, negligi, ſed dilatari paullulum, eidemque unguentum baſilicum nigrum, cum pauco mercurio præcipitato rubro mixtum, adplicari oportet, ut materiæ virulentæ effluxus diutius perduret.

§. X.

Dominus DIEDERICVS WESSEL LINDEN, quod ſilentio penitus hoc loco prætermittere nequeo, Dominum MEAD propter phlebotomiam, ſub curæ primordiis commendatam, reprehendit. Virus enim, aucto per venæſectionem motu ſanguinis circulari, velocius per vaſa corporis circumferri et hac ratione magis pariter per totam humorum maſſam diſtribui, credit, adeoque chirurgicum hoc auxilium noxium magis, quam utile futurum, arbitratur. Cenſura hæc primo intuitu ratione non plane deſtituta videtur, aſt, ſingulis penitius penſitatis, facile contrarium eluceſcet. Nam primo parum

num, Societati Regiæ Anglicanæ primum communicavit, Pharmacopoeæ Londinenſi ſub *pulveris antilyſſi* nomine inſertum eſt, ibidemque etiam in omnibus pharmacopoliis venale proſtat, ac ſæpiſſime cum auxilio non contemnendo in uſum trahitur.

rum refert, an virus, femel intra vafa receptum, et denuo igitur naturæ ac medicaminum ope e corpore per vias urinæ ac poros cutis eliminandum, paullo celerius, an paullo tardius cum fanguine et lympha per maiores minoresve canales circumferatur. Deinde etiam certum eft, venæfectionem fymbolum fuum, præfertim apud demorfos adultos atque plethoricos, ad inflammationem avertendam conferre: Quibus tertio accedit, quod, fanguine, nimium imprimis abundante, paullulum imminuto, ufus balnei frigidi, univerfam corporis fuperficiem conftringentis, adeoque humores validius fimul ad interiora reprimentis, multo fecurior, quam venæfectione omiffa, evadat.

§. XI.

Plura adhuc refutandi gratia prædictis addi poffent; verum enim vero, cum fatis dudum ex allatis patefcere credam, phlebotomiam ante pulveris ac balnei ufum non fimpliciter reprobandam effe, ventilando huic diffidio non amplius immorabor, fed mentem meam nunc breviter circa quæftionem antea propofitam aperiam, eamque, ut fingula clariora evadant, hoc loco in duo rurfus membra dividam. Nam primo quærendum erit, an lichenis noftri principia activa ita comparata fint, ut inde fpecifica virtus, ipfi contra rabiem caninam adfcripta, quodammodo deduci et explicari queat, et deinde, an auxilium, quod, cura prophylactica fecundum normam fupra expofitam fufcepta, perfæpe obfervatum dicitur, præcipue licheni, aut magis potius piperi largius addito, et balneo frigido fimul adhibito tribuendum fit? Ad primum quæftionis membrum affirmando refpondere nullus dubito. Experientia enim fatis dudum comprobatum eft, medicamenta, fubtili ac pene-

 trante

a) *L. c. p. 259.*




trante acredine donata, activa diuretica esse; nec ignotum porro est, diuretica inter præstantiora hydrophobiæ virulentæ, tum avertendæ post morsum, tum curandæ, remedia militare a). Nunc autem subiectum nostrum,

a) Cantharides, quæ inter potentissima, quanquam, pro meo iudicio, minus tuta diuretica locum occupant, in Anglia a Medicorum plerisque ad hydrophobiam curandam magnopere deprædicantur, ac sæpe etiam, præsertim inde parata tinctura, in usum trahuntur: Immo in *Miscellaneis Acad. N. C. G. Obs. 133.* relatum legimus, incolas Hungariæ superioris ultra fluvium Tibiscum hydrophobiam, eamque singularem prorsus, valde acutam, ibidemque quasi endemiam, nec ab animalium rabidorum morsu, sed ab aliis caussis oriundam, sola ac larga cantharidum adsumtione feliciter utplurimum tollere. Sub prima huius morbi invasione collum subito intumescit, tumori huic paullo post ingens in capite æstus supervenit, qui mox totum corpus tam atroci actione pervadit, ut ægri, intra quatriduum, nisi maturum feratur auxilium, pereant. Adsumunt ordinario in vehiculo quodam decem cantharides pulverisatas, una cum capite ac pedibus, et, integra hæc animalcula nihil noxæ inferre posse, sed pedes potius venenati corporis antidotum esse, credunt. Post adsumtionem pulveris memorati interdum largi sudores erumpunt, interdum vero copiosa urinæ excretio, citra ullum tamen, uti dicunt, dolorem, sequitur, ac tumor colli et æstus universi corporis cum symptomatibus reliquis statim decrescunt, penitusque paullatim profligantur. Dosis cantharidum indicata, quod subiungendum duco, valde magna est, nec ulli igitur in nostris terris imitationem promiscuam suadere audeo. Vix enim aut ne vix credere licebit, medicamentum hoc, ob notissimam acrimoniam suam erodentem, ubivis locorum in hydrophobia aliisque morbis tam mitem effectum, quam in Hungaria, editurum esse.

ſtrum, uti examina chemica docuerunt, ſubtili ac penetrante principio acri ac ſatis valida proinde virtute diuretica inſtructum eſt, adeoque in propatulo etiam eſſe opinor, quod mediante virtute laudata demorſis nonnihil opitulari, ſuumque ſymbolum, ſi tempeſtive adhibeatur, ad hydrophobiam avertendam conferre poſſit. Inficias cæteroquin ire et nequeo, et nolo, partem auxilii, niſi maiorem, certe tamen parem, ad balneum aquæ frigidum et piper nigrum, licheni pulveriſato ſat larga copia mixtum, redire. Hoc enim, ob manifeſtam fortemque acredinem ſuam aromaticam, et potentes inde derivandos ſtimulos, non tantum diureſin, ſed etiam diaphoreſin promovet, et utroque igitur modo, ſi mature nimirum et ante febris exortum adſumatur, illato virulento miaſmati exturbando inſervit; poſterius autem, quod teſte experientia ſolum haud raro demorſis opem tulit egregiam, partes corporis ſolidas mirifice atque celerrime roborat, adeoque efficit, ut tubuli etiam minutiſſimi ſeſe fortius conſtringant, ac valida hac contractione non tantum humores viſcidiores attenuent, ſed virus quoque receptum, antequam febrem inflammatoriam accendat, et aquæ formidinem ſuſcitet, per vias urinæ atque ſudoris expellant. Quibus accedit, quod calor naturalis, propter repentinam ac temporariam pororum a frigore occluſionem, in univerſa corporis peripheria ſubito ac notabiliter increſcat, et poſtmodum vivida pariter actione maturam veneni excluſionem adiuvet. Probe cæteroquin circa balnei non minus quam pulveris prædicti uſum notandum venit, feſtinatione opus eſſe, dum parum plerumque auxilii ab illis ſperare licet, ſi virulenta materia ſeſe altius pridem in corpus inſinuaverit, et febriles igniculos iam iam ſuſcitare inceperit; quemadmodum hoc æque, ac præcedentia, fuſius monſtrare poſſem ac vellem, niſi varia

ria



ria impedimenta ulteriori præſentis argumenti tractationi hac vice obſtarent. Coactus itaque differendi finem facio, et unice adhuc opto, ut exiguus hic labor utilitate non penitus careat, ſed aliquid pariter ad ægrorum ſalutem conferat.

THESES MISCELLANEAE.

I. Exercitatio corporis moderata animum erigit, novumque operationibus eius vigorem conciliat.

II. Exercitatio, præſertim paullo fortior, ſtatim poſt paſtum ſuſcepta, chymificationis negotium turbat, ac ſanitatem lædit.

III. Balnea aquæ frigidæ roborandi ſcopo in multis quidem morbis cum fructu adhiberi poſſunt; cavendum tamen, ne apud ægros, quorum humores quisquiliis acrioribus nimium ſcatent, promiſcue in uſum trahantur.

IV. Apud aegros, rabie canina correptos, ſaliva indeſinenter ac copioſiſſime in ore confluit, indeque pro meo iudicio manifeſtum evadit, naturam veneni advecti expulſionem per glandulas ſalivales tentare quidem, aſt finem ſuum, ob inflammationis inſolentiam, nunquam perfecte conſequi.

V. Medicamenta mercurialia, uti notiſſimum eſt, ſalivae fluxum valide cient, et inde igitur ratio virtutis ſpecificae, quam medicorum multi iisdem ad hydrophobiam rabiemque caninam praecavendam tribuunt, praecipue petenda videtur.

